



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

III. De Sponsalium Obligatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

quæ à S. Synodo Trident. Sess. 24. cap. 1. de Ref. Matrim. vetita & irritata sunt matrimonia clandestina: tum verò; quia sponsalia clandestina non sunt via necessaria ad matrimonium clandestinum; cum illorum, sicut publicè & coram paroco ac testibus, sic & clam initorum vi matrimonia in Ecclesiæ facie possint & soleant celebrari, ut probè agnovisse videtur S. Congregatio Cardd. Trident. Interpp. cujus à citt. Rebello f. 3. n. 49. & Perez f. 3. n. 6. relata declaratio est: *Decretum hoc, quò statuitur, ut matrimonii contractus fiant solemniter coram Paroco & testibus, habet duntaxat locum in matrimonio per verba de presenti: non autem cum sponsalia per verba de futuro contrahuntur.* Ratio declarationis est; quia Synodale hoc decretum correctorium est Juris antiqui, clam inita sponsalia nec irritantis nec vetantis; ac proinde ad sponsalium clam initorum casum non trahendum, arg. c. Cum expediat § 1. *Præcipimus* citt.

ARTICULUS III.

De Sponsalium Obligatione.

SUMMARIUM.

51. Sponsalium duo præcipuè sunt effectus.
52. Ab iis recessum Civile:
53. Non etiam Canonicum Jus permittit.
54. Graviter obligat matrimonii mutua & onerosa:
55. Imò etiam gratuita promissio.
56. Contra quam commissa fornicatio Temperantia:
57. Imò etiam Fidelitati ac Justitia adversatur.

58. Sponsalia implenda sunt intra terminum à contrahentibus præfixum:
59. Aut quàm primùm impleri commode possunt:
60. Quod ut præstent, sponsi prius morandi:
61. Postea compellendi sunt,
62. Etiam Censurâ Ecclesiasticâ,
63. Ob nimiam contumaciam relaxandâ.
64. Obligat sponsalibus adjectum onus in certo loco ad tempus:
65. Imò etiam stabiliter commorandi;
66. Ut mulier virum ex eo discedentem sequi non teneatur,
67. Eumque repetere possit:
68. Nisi ex justa causa superveniente discesserit.
69. Obligat pactum; ne vir in certo loco habitet.

Sponsalium validè initorum duo præcipuè sunt Effectus, scilicet Obligatio contrahendi Matrimonium & Nuptiale impedimentum dirimens, quod *Justitia publica Honestatis* appellatur. Posteriores hunc effectum postremo: priorem præsentis Articuli discutimus.

Obligatio conjugii cum desponsato, tam mare quàm femina contrahendi minus fortis est Civili, quàm Canonicò Jure; illò enim, qui sponsalibus obligatus est, conditioni renuntiare, & postea cum alia contrahere permittitur, l. 1. C. de Sponsal. Si absque prævia renuntiatione sponsa nuplerit alii, aliàmve sponsus duxerit, infamiâ notatur, l. Quid ergo 13. §. 3. ff. de His, qui not. inf. Istò autem &, quò in sponsalibus ac matrimoniis hodie utimur, Canonicò Jure ex sponsalibus initis cum una nascitur impedimentum, matrimonium cum alia contrahen-

C

trahendum, non quidem dirimens, sed illicitum reddens; cum, qui de conjugio ineundo fidem sibi mutuo dederunt, id ineundo hanc adimplere teneantur, sive matru ipsorum promissiones juramento confirmatae, *c. Ex literis 10. c. Requisivit 17. Sc.* sive simpliciter sint factae, *can. Desponsatam 27. & can. fin. 27. q. 2. & clarius c. Praterca 2. c. Si inter 31. hac Rubr. c. De illis 7. de Despons. impub. & c. 1. de Sponsa duor. Alexand. Carelius de Sponsal. Lib. 1. cap. 11. Guttierrez de Matrim. cap. 15. n. 1. & Sanchez Lib. 1. de Matrim. disp. 27. n. 1.*

34. Dubium est primo, an ea sponsalium obligatio sit gravis. Si sponsalia jurata non sint, ea implendi obligationem gravem de Jure etiam Canonico non esse, cum Glossa & Cyno in l. 1. cit. probabile censet Panormit. in c. Requisivit 17. n. 6. ne conjugii ineundi libertas nimium constringatur. Sed verius, imò certum est, ex illis ortam obligationem esse gravem, ut cum D. Thoma in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. Turcremata in ean. Ubi non est 30. q. 2. art. 6. n. 7. Soto dist. cit. q. 2. art. 5. Covarruvia p. 1. de Sponsalibus cap. 4. init. n. 2. & aliis magno numero congestis docent cit. Sanchez n. 2. Laiman. Lib. 5. Tract. 10. p. 5. cap. 1. n. 3. Palao Tract. 28. disp. 1. p. 7. n. 1. & alii, id desumentes ex textibus cit. & praesertim ex c. Praterca 2. cit. quò ab Innocentio III. Hi, qui de matrimonio contrahendo purè & sine omni conditione fidem sibi mutuo dederunt, commoneandi & modis omnibus inducendi dicuntur; Ut praestitam fidem observent, procul dubio; quò ad hoc sub gravi peccato teneantur. Ratio est; quia sponsalia sunt contractus onerosus & reciprocos, & quidem de re sive materia gravitatus: ex cujusmodi contractu, si res sive materia gravis sit, Justitiae gravis

obligatio nascitur; ut, qui eò datam fidem non servat, non solum contra Fidelitatem, sed contra Justitiam quoque graviter delinquat.

55. Quin, etiamsi matrimonium contrahendum non uterque sed unus duntaxat, vg. Bertha Titio gratuito promississet, eamque promissionem iste acceptasset juxta dicta n. 28. & n. 49. ad promissionem illam, Titio exposcente, per contractum Matrimoniale adimplendam Bertham graviter obligari, cum Soto dist. cit. q. 2. art. 1. concl. 1. defendunt cit. Sanchez disp. 5. n. 20. & Perez de Matrim. disp. 6. f. 5. n. 4. Ratio est; quòd simplici promissione acceptata, si res promissa, ut matrimonium contrahendum, gravis sit, oriatur gravis obligatio implendi, quòd est promissum; cum simplicis etiam pactiois observantia urgeri possit proposita in ejus violatorem excommunicatione; c. 1. de Pactis, quae, cum poenarum omnium, quas Ecclesia habet, gravissima sit, c. Cum non ab homine 10. de Judicio, non nisi pro mortali crimine imponi potest, can. Nemo 41. in fine, l. 1. q. 1.

Neque ex hujusmodi gratuita vel reciproca matrimonii promissione orta gravis obligatio obstat conjugii libertati; cum de eo ineundo alicui fidem dans eà libertate jam sit usus; atque idcirco ad promissionem, spontaneò illius usu factam, adimplendam compelli Jure possit, can. Desponsatam, c. Ex literis & c. Si inter cit. Unde

56. Dubium secundum oritur, an fornicatio sponsi sponsae Justitiae adversetur; id enim negant, & illam Intemperantiae solius peccatum esse, cum Covarruvia p. 1. cit. cap. 1. n. 4. sustinent Henriquez Lib. 11. cap. 13. & Pontius Lib. 12. de Matrim. cap. 6. n. 8. eà unica ducti ratione; quòd sponsi sponsaeque fornica-

fornicatio cum alio non sit usus corporis alieni; cum hoc traditum, eoque utendi jus in alterum translatum necdum sit: & ex sponsalibus acquisitum jus ad rem non violetur; quia hoc aliud non est, quam debitum & obligatio cum sponso sponsæ contrahendi matrimonium, quæ ex parte fornicantis integra manent. Cui rationi non parum roboris addit; quod specialem Injustitiæ malitiam luxuriæ peccato superaddat solum adulterium, quod non nisi in nuptiam committitur, *l. Inter 6. §. 1. C. l. Stuprum 34. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adultr.*

57. Verisimilius tamen, fornicatione cum alio quam de sponsato à sponsa, & ipso etiam sponso, contra Fidelitatem ac Justitiam delinquit, cum Sarmiento *Lib. 1. Select. cap. 5. n. 3.* defendunt Coninck *Disp. 22. dub. 1. n. 6.* Laiman, *cit. cap. 1. n. 6.* Bonacina *de Sponsal. q. 1. p. 10. n. 12.* Palao *cit. disp. 1. p. 7. n. 5.* & Pirrhing *ad Rubr. de Adultr. n. 3.* Et de sponsæ quidem fornicatione id liquet; quod ista sponso gravis & ut *ad hanc Rubr. n. 11.* Canilius ait, atrox injuria inferatur, ipsique injuriarum Actio concedatur, *l. Sed 9. C. l. Item apud 15. §. 24. ff. de Injuriis*; & sponsæ scelus, licet adulterium propriè non sit, istius tamen instar vindicari valeat, *l. Si uxor sit. §. 3.* quod nec spem matrimonii violare permittatur. Ratio est; quia fornicatione cum alio sponsa vilior, cum eaque ab alio corrupta matrimonium sponso probrosum est & conjunctum cum periculo; ne prole alienam tanquam suam alat & habeat heredem. De utroque idea non obscure desumitur ex *c. Quemadmodum 25. de Jurejurando*, cujus *pr.* ut *ibi* notat Panormit. *n. 4.* Innocentius III. non minus sponsæ, quam sponso innocenti alterius fornicatione justam causam præberi, ait, à sponsalium, quæ Justitiæ est,

obligatione resiliendi, utique; quia ejus jus & obligatio Justitiæ violata est à fornicante. Ratio est; quia ipso sponsalium contractu fidem sibi, mutuo ambo dederunt de corporis sui usu sibi & nulli alteri tradendò: & huic non solum per matrimonium, sed etiam per fornicationem; quod hæc multò foedior temperaque illicita sit; ac proinde illum alteri, sicut per matrimonium sic & per fornicationem tradendò violet ex sponsalibus ortum alterius jus & obligationem suam: quæ cum Justitiæ sit, contra eam commissa fornicatio Infidelitatis & Injustitiæ, non solius Intemperantiæ peccatum erit. Quod confirmatur; quia, sicut sponso sponsæ, sic isti illius fornicatio justam causam præbet gravis tristitiæ, probrumque & justum metum affert; ne conjugii cum illo ineundi fides violetur. Unde

Corruit ratio deducta in contrarium, & à DD. *cit.* inferitur, à sponsis fornicationem cum alia aliòve & ab his quoque in Confessione Sacramentali explicandam sponsalitiæ obligationis circumstantiam, tanquam mutantem speciem peccati, non solius intemperantiæ, sed perfidiæ quoque & injustitiæ malitiam continentis, ex decreto Concilii Trident. *Seß. 14. cap. 5. de Sacrament. Panit.*

Dubium tertio est de tempore, quò sponsalia sunt adimplenda. Non quidem, si nuptiis certus terminus mutuo consensu sit præfixus; hoc enim casu iste, nisi inter eos postea aliter conveniret, observandus erit, *arg. l. Trajectitia 22. ff. de O. S. A. C. l. Magnam 12. C. de Contrahenda stipulat.* Sed, quando ejusmodi terminus præfixus non est: quò casu ea adimplendi obligationem ante alterius exactionem non dari, cum Navarro *Manual. cap. 17. n. 97.* & aliis existimat Sanchez *Lib. 1. disp. 28. n. 2. arg. l. Debi-*

C 2

58.

l. Debitores 10. C. de Pign. & hypoth. ubi Glossa *V. Conveniendi*, ait, debitorem, cum terminus præfixus non est, solvere solummodo teneri, cum à creditore fuerit requisitus. Sed revera hoc neque ita asserit Glossa, neque evincitur ex textu; istò enim non tam de debiti solutione agitur, quam de pignoris distractione: ad quam à creditore procedendum non est ante debiti exactionem, *l. Debitoribus 18. C. de Administr. tut.* Unde verius cum Ledesma *de Matrim. dub. 13. pr.* Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 6. n. 1.* & Perez *Tract. eòdem disp. 6. s. 1. n. 4.* eò casu sponsalia implendi obligationem incipere volunt à die, quò ea sunt contracta, juxta *l. In omnibus 14. ff. de R. I. & l. Eum qui 41. §. 1. ff. de V. O.* quibus deciditur, in omnibus obligationibus, quibus terminus non præfigitur, deberi *Statim*, hoc est, quàm primùm spectatis rerum circumstantiis commodè potest, *arg. l. Ratum 13. §. 1. ff. de Solutio- nibus 105. ff. de Solutionibus*, secundùm quas dictiones *Statim* & *Quamprimum* cum quodam spatio & temperamento temporis sunt exaudiendæ.

Quamvis autem in rigore ita res se habeat, non malè tamen Palao *Tract. 28. disp. 1. p. 7. n. 2.* advertit, sponsum regulariter à sponsalium impletione, cum ista non exigitur, excusari per accidens; quòd pars, eam non exigendò (saltem, si hoc ex verecundia vel alia simili causa non omittat) in dilationem tacitè censeatur consentire.

60. Dubium quartò est, an, sponsum uno exigente, alter ad sponsalium impletionem possit cogi. Ratio dubitandi prompta est ex *c. Requisivit 17.* quò relatus Lucius III. ad eorum impletionem sponsam monendam potius, asserit, quàm cogendam, ex ea ratione; quòd *Coactiones difficiles solent exitus frequenter ha-*

bere. Imò, si coactio fiat intentatà excommunicatione, matrimonium, tanquam gravi metu extortum & legitimò consensu destitutum, pro invalido habent & habendum ex *c. Cum locum 14. c. Veniens 15. Sc. & l. Nihil consensu 118. ff. de R. I.* desumunt Angelus *V. Sponsalia n. 42.* & Armilla *Eòdem V. n. 7.*

61. Sed parùm solidè; cum enim, qui sponsalia contraxit, ad ea per nuptias adimplenda graviter obligetur, excommunicationis vel alterius pœnæ Ecclesiasticæ propterea facta intentatio, & ex ea conceptus metus injustus non erit, neque obstabit libertati, cum; quòd ita coactus, ipsà promissione matrimonii hoc contrahendi necessitatem liberò voluntatis suæ consensu ipse sibi imposuerit juxta vulgatum, quò contractus, qui ab initio sunt voluntatis, postea necessitatis, proprià voluntate inductæ, esse dicuntur, *l. Sicut 5. C. de O. & A.* tum verò; quòd injustè resiliens eum, quem propterea patitur, metum sibi ipse inferat, pertinaciter renuendò præstare, quòd ommittere, nisi cum alterius injuria, non potest, *arg. l. Si mulier 21. pr. V. Quia hunc sibi metum ipsa infert, ff. Quod metus causâ gest.* Confirmatur; quia metus excommunicationis, quando justè infligitur, non cadit in constantem virum; cum causâ & culpâ ipsius, qui eum patitur, inferatur: eòq; se liberare injuriam removendò possit, ut eruditè ostendunt laudati Covarruvias *cit. p. 2. cap. 3. §. 4. n. 12.* & Sanchez *Lib. 4. disp. 13. n. 3.*

Neque excommunicationi locum in renuentem non esse, persuadet; quòd *c. Præterea 2.* resiliens, ut sponsalia exequantur, *Commonendos & modis omnibus inducendos*, asseratur sine mentione coactionis per censuram aliâmvè pœnam; quia

nam; quia hoc procedit, quando à sponfalibus receditur mutuo contrahentium consensu: quem *c. cit.* casum esse, liquet ex verbis, *Si autem se ad invicem admittere noluerint*: quæ ipsa causa est, cur eorum inconstantia non tanquam bonum sed tanquam minus malum dicatur toleranda, ut cum *cit.* Covarruvia *p. 1. cap. 5. §. 1. pr.* advertit *cit.* Palao *p. 8. n. 4.*

62. Quare DD. isti, sponsum absque iusta causa, & alterò invidio aut invito, resilientem, si monitio non proficiat, censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis ad implenda, etiam non jurata, sponfalia compellendum, meritò defendunt & defuerunt ex *c. Ex literis cit.* Rationem solidam reddunt; quòd iudex præsertim Ecclesiasticus ex officio ac munere suo teneatur opportunis remediis procurare; ne subditi officium suum implorantes injuriam patiantur; utque, quod suum aut sibi debitum est, unicuique tribuatur, *arg. l. Iustitia 10. ff. de j. & j. c. 1. & c. Qualiter 3. de Pactis*, S. Thomas 2. 2. q. 58. art. 1. à sponfalibus autem sine iusta causa resilientes eade renuens implere, alteri inferat gravem injuriam: quam proinde, ut removeat, eum, alterò invitò, sine causa resilientè & monitis non acquiescentè iudex censuris aliisque pœnis inflictis poterit, & ex officio debet compellere, sive matrimonii promissio facta simpliciter, sive juramentò sit roborata, *cc. cit. & can. Juramenti, 23. q. 5.* Atque ita cum Panormit. *in c. Ex literis cit. n. 3.* Alexand. de Nevo *in c. Requisivit cit. n. 10.* Alexand. Carerio *cap. 11.* Covarruvia *cit. p. 1. cap. 4. initio n. 3.* & aliis magnò numero acervatis sentit Sanchez *cit. Lib. 1. disp. 29. n. 4.* idque Curiarum Ecclesiasticarum praxi receptum, testis est Gutierrez *Canon. 2. Lib. 1. cap. 18. n. 10.* qui tamen *n. 31.* salubriter observat, injustè resilientem, *paxta c. Requisivit cit.*

Potius, hoc est, priùs, ut vox illa à DD. exponitur apud Barbosam *in c. cit. n. 3.* monendum, quàm excommunicationis aliave pœnà intentatà compellatur.

63. Quin, si iudex advertat, excommunicationem ob nimiam resilientis pertinaciam nihil profuturam, ab ea infligenda abstinere, & jam inflictam relaxare debet, ad evitanda scandala, quæ ex consensu coactò aut solum ficto sequi possunt: & sæpe majus malum sunt, quàm est violatio fidei in sponfalium contractu mutuo datæ, ut etiam notant *citt.* Sanchez *n. 8.* & Barbosa *n. 3. in fine.*

64. Dubium quintò est, an obliget sponfalibus appositum pactum de habitatione in certo loco. Et de Temporanea quidem hujusmodi habitatione appositum pactum, istique firmando adjectam pœnam obligare, contra Dynaum *in l. Titio 71. ff. de Condit. & demonstr.* & Bartolum *ibid. n. 4.* consentiunt alii plerique. Dissentiunt autem de pacto habitationis in loco perpetuò stabiliendæ; id enim cum apposita pœna tanquam irritum cum JCTis. *citt.* rejiciunt Gothofred. *in l. cit.* Alex. de Nevo *in c. Quoniã 2. de Conjug. leprof. n. 9.* Cuiacius *Lib. 14. Observat. cap. 27.* Gomez *Tom. 2. Var. cap. 10. n. 24.* & alii, in eam rem allegantes *l. Titio cit. & l. Omnium 3. ff. de Usufructu*, quarum prioris §. 2. rejicitur legato apposta conditio, ut à defuncti monumento non recedatur: vel; ut in certa civitate domicilium habeat, & ratio redditur; quia, *Per eam jus libertatis infringitur*: posterioris §. 2. operarum locatio perpetua reprobatur ex ratione; *ne sit inuultu libertas eundi*, quò voluerit & in quo voluerit loco commorandi, cuius ingenio permissa, *l. Qui manumittitur 12. C. de Oper. libere.* Rationem reddunt; quòd in certo loco commorandi necessitas sit instar carceris, quò, aut vinculis ut

C 3

quis con-

quis constringatur, imposita obligatio non tenet; quòd eundi, quòd lubet, adimat libertatem

65. Sed multò verisimiliùs, ejusmodi pactionem & in certo loco commorandi conditionem sponfalibus & ipsi etiam matrimonio appositam obligare, docent Hostiens. in c. 1. *Qui matrim. accus. pr.* & ibi Joan. Andr. n. 2. Anchoran. n. 5. Panormit. n. 5. & ex aliis DD. Sylvest. *Uxor n. 8.* Navarr. *Manual. cap. 14. n. 20. citr.* Sanchez *disp. 40. n. 2.* Pontius *Lib. 12. de Matrim. cap. 20. à n. 3.* & Perez *disp. 7. f. 3. n. 3.* Moventur; quòd talis pactio & conditio à sponfalium & nuptiarum contractibus ullo Jure non rejiciantur. Non Naturali aut Divinò; quia illis libertas non adimitur: sed aliquantulum duntaxat & propriæ voluntatis spontaneo consensu restringitur. Nec Positivò, quia Civili Jure quis adscribi fundo colendo; ut ab eo sine licentia domini, *l. Originarios 11. Et l. Servos 12. C. de Agricol. Et censit. Et Curialis constitui potest;* ut à Curia recedere sine ejus Præsidis licentia nequeat, *l. 1. ff. l. Si quis 16. Et l. Quidam 26. C. de Decurion.* Canonico verò ejusmodi pactionis & conditionis reprobata nevestigium quidem reperitur: eisque perperam opponitur c. *Gemma 29,* quia istò sola poena sponfalibus, & ex meliori sententia iis tantum, à quibus recessus Jure permissus non est, adjecta reprobatur. Cum ergo sponfalia & ipsum quoque matrimonium iniri valeant quibusvis pactis & conditionibus Jure non reprobatis & non contrariis eorum naturæ, *arg. c. Verum 4. de Condit. apposit. Et l. In traditionibus 48. C. de Pa. Etis,* iniri etiam poterunt apposità à matre & ipsa etiam foemina conditione, ad habitationem in certo loco adstringente; ut tali casu locus sit Juri illi Divino, *Relinquet homo patrem suum & matrem, & ad-*

heredit uxori suæ, Genes. cap. 2. v. 24. & Homo patrem suum relinquit, qui nutritur illum, & ad mulierem se conjungit, Esdra Lib. 3. cap. 4. v. 20.

Neque Resolutionem hanc convellunt contra eam deductæ leges, cum; quia istæ in certo loco commorandi conditionem solum rejiciunt, quando vanæ & inutiliter apponitur legato: non etiam, quando contractui & utiliter adjicitur, *arg. l. Originarios l. Servos l. Si quis Et l. Quidam citr.* sicut contingit, quando nuptiali contractui apponitur à foemina; ne desertà patriâ & procul à suis inter extraneos & ignotos vitam exigere cogatur.

Neque eandem infringit diminutio libertatis in eo, quòd lubet, loco commorandi; quia hæc diminutio aliqualis tantum est, & qualem ex justa causa & in gratiam alterius libera & spontaneæ voluntatis electione subire quis non prohibetur, *arg. l. citr.* Unde

Inferunt DD. *citr.* primò, vi ejusmodi conditionis nuptiali contractui adjectæ uxorem à convento loco discedere & maritum, contra pacta aliò se conferentem, sequi non teneri; quòd, licet alius domicilium mariti sequatur, *l. fin. §. 3. ff. ad Municipal. Et l. fin. C. de Mulier. in quo loco,* ne tamen uxor ipsum discedentem sequi cogatur, iste sponte consenserit ad habitationem in certo loco se obligandò; ut aded, si nuptiis appositam conditionem servet, ejus domicilium & forum quoque uxor sortiatur.

Inferunt secundò casu, quòd maritus contra fidem datam ex pactæ habitationis loco injustè discedit, eum ab uxore vindicari, aut recuperandæ possessionis remediò repeti & compelli posse; ut ad uxorem revertatur, *c. 1. de Ord. cognit. c. Extransmissa 8. Et c. Ex conquestione 10. de de Restit. spoliat.* quòd discessu suo uxori intulerit

intulerit injuriam, eamque spoliavit, *citt.* Guttierrez *cap. 23. n. 18.* & Palao *p. 15. S. 2. n. 5.*

68. Excipiunt tamen etiam DD. *citt.* casum, quò è loco, in pactioem nuptialem deducto, discedendi justa causa supervenit, v.g. si aëris aliave loci intemperies viri salutem afferat periculum, vel propter capitales inimicitias in loco commorari tutò non possit; tali enim aliave simili causa habitacionis mutationem urgente, insuper habità pactioem etiam juratà, aliò se conferre possit, eumque sequi uxor teneretur, *arg. l. Si conveneris 14. C. l. Vel quòd 15. ff. pro Socio.* Tiraquell. *Conub. L. 1. gloss. C. 1. n. 39. citt.* Sanchez *n. 3.* & Palao *n. 9.* Unde

69. Dubium sextum oritur, an vicissim valeat pactum; ut vir in certo loco non moretur, eumque non ingrediatur: quod contra Alciatum *Lib. 5. consil. 34. n. 3.* pro valido licitòque habent *citt.* Pontius *n. 9.* Palao *n. 12.* & Perez *n. 4.* Ratio est; quia neque Juri publico, neque naturæ conjugii, neque bonis moribus adversatur. Quin certi loci vitatio privatim & publice quoque utilis esse potest, si eà perturbationis Reipublicæ, dissidiorum aliorumque incommodorum, ex commoratione vel ingressu timendorum, periculum excludatur.

ARTICULUS IV.

De Arrhis & Poena Sponsalibus adjecta.

SUMMARIUM.

70. Arrhe in futuri matrimonij pignus,
71. Adjecto dupli vel quadrupli reddendi onere, constitui possunt,
72. Tradique debent,

73. Et locum etiam habent de Jure Canonico.

74. Eas non perdit pater, filia, ipsò invito, à sponsalibus resiliente.

75. A resiliente duplum aut quadruplum ante,

76. Et post sententiam restituendum, sententium Opiniones,

77. Eaque de re sensus Auctoris.

78. Panam Conventionalem à Sponsalibus resicientium,

79. Et in iis admittentium sententia conciliantur;

80. Ut illa justè recedentem non afficiat,

81. Obliget injustè resilientem,

82. Nec ladat libertatem matrimonij;

83. Sicut hanc non ladunt Arrhe,

84. Et pecuniaria aliave poena à judice imposita.

85. Differentia hac in re Legis Romana à Christiana

86. Et à Jure consuetudinario,

87. Panam, non arrhas ultra quadruplum autas, resiciente.

88. Validum est Juramentum de poena ab injustè,

89. Non etiam à justè resiliente solvenda,

90. Etiam cum ea à parentibus & cognatis est adjecta.

Arrharum nomine veniunt, quæ 70. Sponsæ à sponso aut vicissim huic ab illa, in contractorem Sponsalium signum & Matrimonii contrahendi pignus dantur, *l. Arrhis 3. C. l. Mulier 5. C. l. fin. C. de Sponsal. C. Arrb.* ut, si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint: si autem nuptiæ ob contrariam voluntatem (non ob intercedens nuptiale impedimentum aliàmve justam causam) secutæ non fuerint, is qui fidem datam violaverit, datas perdat: & si arrhas ipse accepit, restituat duplicatas, hoc